BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

ITTENT

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA


DE

VITA, ET REBUS GESTIS FEDERICI II. SICILIÆ REGIS

AUCTORE

FRANCISCO TESTA

ARCHIEPISCOPO MONTISREGALIS.



Tresca Sculp.

PANORMI MDCCLXXV.

Excussit cum Privilegio Cajetanus M. Bentivenga sub signo Ss. Apostolorum, prope Plateam Bononiorum.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

POTESTATIBUS PERMITTENTIBUS

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA



MARCO ANTONIO COLUMNÆ
HOSTILIANI PRINCIPI
IN SICILIA PRO REGE

NICOLAUS CIAPAGLIONIUS
S. D.



INter cæteras animi virtutes, quibus præditus & vixit, & occubuit Franciſcus Teſta Monregalenſis

ſis Antiſtes, non imum obtinet locum ingens erga Patriam amor, atque ejus amplificandæ augendæque, pluſquam pro virili parte, ſtudium non intermiſſum. Id & ſæpe alias, & in Comitiis Regni maximè oſtendit. Hac mente ductus vitam Friderici II. ſcribere inſtituit.

Quum enim Siculorum virtus eâ tempeſtate domi, foriſque præ reliquis enituerit, arbitratus eſt egregius civis illos adhibere veluti avitæ gloriæ monitores, qui torvis illos adhibere veluti avitæ gloriæ monitores, qui torpentes nonnullorum animos ad eam excitarent, & ſeris nepotibus eorum geſta legentibus edicerent, nè degeneres per inertiam atque ſocordiam ætatem agerent, ſed eoſdem, quos ipſi pro Rege, pro Patria militares, civileſque ſubeundo labores, eandem nominis claritatem conſequerentur.

Hiſtoriâ abſolutâ necdum editâ Præſul exceſſit. Ea apud typographum biennio delituit, & adhuc deliteſceret, niſi tuus adventus, & Regni prudenter, feliciterque ſuſcepta adminiſtratio Patriæ amatores monuiſſet, quod ſi opportunum quandoque tempus erigendis Siculorum animis, & ad Majorum premenda veſtigia revocandis fuerit, nunc vero te Siciliam pro Rege moderante opportuniſſimum fore. Ferdinandi enim noſtri, ſicut Ferdinandus Caroli patris, virtutum & animi imitator tu nos amas, te nos amamus, & veremur, & imperatoriæ artis, civiliſque prudentiæ peritia maxime polles, quæ res ſcilicet Siciliam Friderico Rege ad tantam, quantam præſens ejus vita demonſtrat, famæ celebritatem, evexerunt.

Neminem latebat, qui Ferdinandum utpote magni con-

consilii Principem norunt (& omnes norunt) eum post illam turbam, rerumque confusionem non nisi ex Proceribus selectissimo Siciliæ regimen commissurum. Oportebat enim illi gubernacula tradere, qui civium animos, prout quisque erant affecti, aut coerceret, aut leniret, aut erigeret. Vix in littore expositum te id præstiturum sumus ominati. Comis erga omnes infimos etiam de plebe homines mutuis salutationibus excipiebas, ut semper excipis. Vix corpore curato, aulam, aureisque tuas popello etiam, & mulierculis patere voluisti, supplices cujuscumque libellos per te ipse recipiens. Quoties quisque voluit, dixit, & quam voluit diu. Nemo ex domesticis convictionibus, familiave apud te, vel Magistratum, Rei cujuspiam aut Candidati quæstuosus fautor : Nemo publicorum Redemtor, Redemtorumve socius, non illi mercaturas facere, non tibi audent in alterius perniciem, aut favorem insusurrare. Graviter interdictum, nè munera accipiant, te exemplo præeunte.

Constat cum domestica disciplina sedula & incorrupta Urbis & Regni procuratio. Frumentorum, cæterarumque frugum exportatio, & invectio neque gratiâ, neque pretio conceduntur, sed ad publicam tantummodo utilitatem. Coercita monopolia, cautè severeque provisum, nè deinceps hujusmodi pestis irrepat. Repressa calumniatorum licentia : expetitæ ab aleatoribus pœnæ : obæratorum & decoctorum fraudibus obviam itum. Ecclesiarum, Collegiorumque Rectoribus asserta libertas magis idoneos, & secundum suas cuique leges, & institutа cooptandi. Luxui, & pecuniarum profusioni, fera-

raci multorum malorum ſegeti, modus cœptus adhiberi.

Et ſanè ſumptus in puellas ſacra tirocinia ineuntes ita ſenſim excreverant, ut Patribusfamilias intolerabiles, diſciplinæ eccleſiaſticæ etiam eſſent pernicioſi. Eos tolli Regni Procuratores ſemel, atque iterum efflagitaverant, nec potuerant impetrare. Rem multiplici detrectatione dilatam, & pluribus difficultatibus impeditam ipſe perfeciſti, gaviſique ſunt omnes legem a te latam, quâ poſtulationem tam ſalutarem ratam habuiſti.

Tot tantiſque implicitum negotiis panificii, & reliquæ annonæ cura non præterit, quin ad continendos in officio Venditores, juxtâ atque eos, qui venditoribus præſunt, humiles tabernas, popinaſque inviſere non dedignaris, venales merces inopinatè introſpecturus. Et, ut Civitatis ſtatui uſquequaque conſuleres, urbanum magiſtratum non petentibus compendii cauſa, ſed invitis, at de republica optimè meritis contuliſti. Denique ut rem in pauca conferam, quidquid Xenophon in Cyro ad effigiem juſti imperii deſcripſit, quidquid Tullius in Quinto Fratre parum ſecundâ famâ præturam Aſiæ adminiſtrante deſideravit, tu in Siciliæ adminiſtratione luculenter exples, & expleſti; niſi quod illorum Philoſophorum præcepta ducuntur tantùm ab officiis humanitatis, tua totius vitæ, & gubernationis ratio ſacrarum præcipuè literarum, & chriſtiana Patrum nititur doctrina, quam ex ſelectiſſima domeſtica bibliotheca ſub optimis Præceptoribus una cum elegantiori bonarum artium ſcientia tibi comparaſti. Hinc Religionis cultor eximius me accerſitum monuiſti: viderem nè quid illa detrimenti caperet ex clandeſtina proſcripto-